

3/90

IDIBVS AVGVSTIS

MCMXC

VARIVS
TOR VARIVS I
VMOR VARIVS F
RVMOR VARIVS F

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
TOR VARIVS
DIVVS

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 15.--
In Germania	DM 24.--
In Austria	ÖS 170.--
In ceteris Europae terris	Fr. 22.--
In terris trans maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

C. Meier-Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 15.--
Deutschland	DM 24.--
Oesterreich	ÖS 170.--
übriges Europa	Fr. 22.--
Uebersee	US 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

C. Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri haec legentes!



Adventus navis Thesei Cretam in insulam (Pars crateris
Clitiae et Ergotimi, anno 570° fere a. Chr. n. facti).



Hermes deus (vas Atticum,
anno 500° fere a. Chr. n.
factum).

His duabus imaginibus vasorum
Graecorum tempori aestivali
idoneis exoptamus vobis,
ut tempora feriata bene
agetis et, si iter in alienas
terras faciatis, Hermes sive
- apud Romanos - Mercurius
deus, patronus peregrinatorum
et viatorum (scilicet furum
quoque!) vobis faveat.

Valete!

D. Weissmann

Daniel Weissmann

De conventu annuo Societatis Latinae Turicensis

mense Maio habito

Die quinto mensis Maii collegae, qui Societatis Latinae Turicensis membra RUMOREM VARIUM edendum curamus, conventum nostrum annum habuimus Turici in aedibus AKAD^{is}. Priusquam pauca de hoc conventu narravero, explicabo, quae sit Societas Latina Turicensis, quae sit schola, cui nomen AKAD est:

Societas Latina Turicensis (SLT) ad RUMOREM VARIUM edendum condita est anno MCMLXXVIII°. Sunt autem membra huius societatis omnes illi socii sociaequae operis, quos plurimi vestrum, cari legentes, RUMOREM VARIUM semper legentes sine dubio iam diu novistis: Barbara Maier Brunnensis, symbolarum auctrix; Christina Meier-Portner Oensingensis, quae impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat; Martinus Meier Altendorfensis, symbolarum auctor; Daniel Weissmann Bernensis, rerum publicandarum moderator et symbolarum auctor; Dr. Guarnerius Fridericus Ebel Bero-linensis, symbolarum auctor; Dr. Emanuel Bernard Rüsliko-nensis, symbolarum auctor; Udalricus Aeschlimann Elggensis, pristinus moderator rerum publicandarum, symbolarum auctor, societatis praeses; Rosemarie Delachaux Turicensis, quae res ad subnotationes pertinentes curat; Dr. Georg Durtschi Maurensis, rector AKAD^{is} qua RUMOR VARIUS semper subsidiis alitur.

Nomen AKAD^{is} autem derivatum est a quattuor litteris initialibus illius societatis, cuius nomen verum Theodisce "Akademikergesellschaft für Erwachsenenfortbildung AG" ex-scribitur. Quae societas in gymnasio suo anno MCMLVI° condito, Turici sito adhuc magno successu plus quam tria milia iuvenum adulatorumque ad examina maturitatis praestan-da, ab Confoederatione Helvetica bis in annum habita instituit. Quam scholam regentibus dirigentibus autem gra-tia maxima agenda est, quod non modo humanitatem et Latinitatem colunt, sed etiam stipendiis RUMORI VARIO liberaliter praebitis semper curant, ut hic noster libellus semper vigeat, semper floreat.

Quid autem socii operis in illo conventu Societatis Latinae Turicensis mense Maio habito tractavimus? Non modo seria,

sed etiam hilaria. Deliberavimus, quo modo RUMORI VARIO in terris Europae oerientalis - rebus publicis ilico nuperrime mutatis - novi amici novaeque amicae inveniri possent; decrevimus, ut pretium RUMORIS VARIII subnotandi futuro anno MCMXCI° idem maneret ac adhuc est; porro deliberavimus, qua via numerus eorum, qui symbolas RUMORE VARIO publicandas mitterent, augetur. Deinde ab AMICO allocutione eius Latine prolata "Salve tristitia" vitam opusque auctricis Francogallicae Franciscae Saganae (Francogallice: Françoise Sagan) tractante maxime gavisi sumus. Qua oratione audita decrevimus, ut libello futuro publicaretur. Ego autem de hoc conventu nihil amplius addam nisi hoc unum: conventum peractum finivimus in caupona Oerlikonensi, poculantes, vino dulci gaudentes, ut occasione conventus annui nostri utentes semper facere solemus. Valet!

Udalricus Aeschlimann



De itinere Florentiam factum

Quotannis aliquot discipuli una cum uno vel duobus magi-
stris collegii Brigensis iter facere solent, ut artificia
cuiuslibet urbis cognoverint. Hoc anno Florentia (Florenz)
urbs pulcherrima electa est. Ex me quaesitum est nonne
discipulos et duos magistros comitari vellem, quamquam homo
nec picturae nec sculpturae nec architecturae peritus sum
(ne dicam me, quod ad tales res pertinet, stultissimum
esse). Sed Florentiae permultae inscriptiones Latinae sunt,
propterea eis me opus erat!

Tandem dies proficiscendi - tam diu desideratus - aderat.
Unus ex discipulis a collega meo in lingua Latina optime
eruditus magna voce dixit: "Quod bonum, faustum, felix
fortunatumque sit!" Sed gratia et benedictio Dei his verbis

super nos evocata mox evanuit. Cum Brigae in tempore profecti essemus, Mediolani sero advenimus, sedes nostrae praenotatae iam ab aliis hominibus iter facientibus occupabantur. Quae cum ita essent, in pedibus standum erat. Sed nobis permulta loquentibus et saepe ridentibus tempus celeriter fugit. Postquam Florentiam advenimus, nobis deversorium, in quo viginti circiter cubicula conduxeramus, quaerendum erat. De Ulixae tam diu errante iam recordari coepi, cum subito discipulus quidam exclamavit: "Ecce deversorium!" et omnes ululavimus. Sed ut barabri recte dicunt: Dies ante vesperum laudandus non est.

Homo, qui hospites et advenas salutare recipereque solet, nobis omnino non comiter dixit: "Eheu, pueri, cubicula vestra occupata sunt usque ad horam decimam, neque hic exspectare potestis, quia hoc alios hospites impedire posset." Eum paene iugulavi, cum discipulus sermonis Latini peritissimus exclamavit: "O socii (neque enim ignari sumus ante malorum), o passi graviora, dabit deus his quoque finem. Profecto terque quaterque beati eramus, quia discipuli magno ingenio maximaque patientia praediti quieti semper manebant." Ergo verum dixit, sed immo verius, si illud Horatii commemoravisset: O fortes peioraque passi mecum saepe viri, nunc vino pellite curas, quoniam (videlicet discipuli soli) sane vino curas postea pepulerunt....

Aliquot horis post cubiculis postremo occupatis primum Florentiam illam pulcherrimam admirati sumus. Sed, ut est in proverbio, homo arte sola vivere nequit multis artificii visis cenavimus et bibimus. Mihi autem mox intellegendum et animadvertendum erat me non iam viginti annos natum esse, igitur non paulo ante mediam noctem defessus eram ceterosque relinquere debui. Postquam diu per Florentiam erravi, deversorium denique inveni et paene mortuus in lectum repsi.

Postridie res mutatae erant: discipuli, qui non dormiverant, sed in discotheciis versati erant, pallidi erant, equidem igitur rosa rorida inter folia arida eram (spero discipulos id lecturos non esse, aliter de me actum erit). Tamen omnes prope aderant (quapropter iis a me gratulandum est), cum dux nostra nobis praeclara exempla artis Florentinae copiose explicabat. Et hoc loco mihi aliquid narrandum est, quod, cari legentes, magno gaudio vos afficere

potest. Uno die alia dux nos comitata est, femina valde Germanica (opinor ei nomen Brunhilda fuisse). Non possum non confiteri animum meum attentissimum non fuisse, quia mea parvi intererat, quando artifex quidam aliquid aliquo modo fecisset etc. Ergo cum amico sponsonem feci (wetten) eique pollicitus sum me ei panem multis rebus onustum et coctum (Pizza) donaturum esse (et vice versa), si ei contingeret, ut oculi ducis diutius in eum versi essent quam in me. Ergo oculis meis ducem paene transfixi, cum vincere vellem. Statim haec amazon me irridens dixit: "Ecce homo, qui feminarum cupidissimus esse videtur, quia oculis suis me devorare conatur." Eheu me miserum, extemplo et magnopere erubui nec multum afuit, quin discipuli ridendo mortem obissent. Necesse non iam est, ut dicam alterum vicisse.

Sed ad rem finemque redeamus! Si tu, care amice, nescis, ubi terrarum feriis tuis frui possis, noli oblivisci Florentiam illam pulcherrimam, quae non modo homine, qui artem amat, digna est, sed etiam ocellus Italiae est, de quo profecto dici potest: Florentiam veni et vidi, vale nunc, vita!

Gerd Dönni



Salve tristitia!

Auctrix Francogallica fabularum Milesiarum - inter eas et illius cui titulus "Salve tristitia" (vulgo Francogallice "Bonjour tristesse") Francisca Sagan(a) (Francogallice: Françoise Quoirez), nomen illud pseudonymum suscepit a principessa quadam Sagana, quae partes quasdam agit in fabula Milesia auctoris Francogallici celeberrimi Marcelli Propositi (Francogallice: Marcel Proust, 1871 - 1922) cui titulus "Quaerendo de tempore perduto" (Francogallice: "A

la recherche du temps perdu"). Francisca autem Sagana, die 21° mensis Iunii anno 1935° nata, per multos annos iam toxicorum medicaminum usui assueta, die 27° mensis Martii anno 1990° a Camera Poenarum Iudicii Provincialis Lugduni ad Rhodanum in oppido damnata est crimine narcomaniae seu toxicomaniae ad poenam probationis seu condicionis sex mensium temporis, insuper ad poenam pecunariam decem milium francorum Francogallicorum, id est marcarum Germanicarum fere duorum milium novem centum quinquaginta.

Auctrix autem Francisca Sagana una cum aliis hominibus litteratis toxicorum inebriantium medicaminum usui assuetis deditisque atque cum compluribus institoribus seu negotiatoribus medicamentorum psychotropicorum stupefacientium ab actore publico seu cognitore civitatis est incusata.

Francisca Sagana, interea quinquaginta fere quinque annos nata - bis nupta bisque divorsa - quae iam diu valetudine minus commoda utitur, valetudinis causa processui adesse non potuit, et rebus sic stantibus ea absente sententia dicta condemnatioque facta est: salve tristitia.

Conspectus aliquot operum Franciscae Saganae in vulgus editorum:

- anno 1953° Salve tristitia.
(Francogallice: Bonjour tristesse).
anno 1956° Certus subrisus.
(Un certain sourire).
anno 1959° Amatisne Brahms?
(Aimez - vous Brahms?)
anno 1961° Mirabiles nubes.
(Les merveilleux nuages).
anno 1968° Custos cordis.
(La garde du coeur).
anno 1969° Paululum solis in aqua frigida.
(Un peu de soleil dans l'eau froide).
anno 1970° Clavicymbolum in herba.
(Un piano dans l'herbe).
anno 1985° Cum meliore meo mnemosyno.
(Avec mon meilleur souvenir).

Carmen de tristitia Pauli Eluardi ex quo originem titulus traxit "Salve tristitia":

Vale tristitia,
Salve tristitia!
Inscripta es in lineis contignationis,

inscripta es in oculis quos amo,

nullo pacto es miseria,
nam labra pauperrima te denuntiant

per subrisum.

Salve tristitia!
Amor corporum amabilium,
potentia amoris,
cuius amabilitas surgit
sicuti monstrum sine corpore,
caput deceptum,
tristitia facies bella!

Adieu tristesse,
bonjour tristesse!
Tu es inscrite dans les lignes
du plafond,
tu es inscrite dans les yeux
que j'aime,
tu n'es pas tout-à-fait la misère,
car les lèvres les plus pauvres
te dénoncent
par un sourire.
Bonjour tristesse!
Amour des corps aimables,
puissance de l'amour,
dont l'amabilité surgit
comme un monstre sans corps,
tête desappointée,
tristesse beau visage!

Eugenius Grindel dictus Paulus Eluardus (Francogallice: Eugène Grindel dit Paul Eluard) natus die 14° mensis Decembris anno 1895° Sancti Dionysii (Saint Denis) in oppido, diem extremum obiit die 18° mensis Novembris anno 1952° Lutetiae Parsiorum (Paris) in urbe.

AMICUS



De pitheco satyro seu pongine pygmaeo (Orangio Utano) infante nomine "Njamuca" in Horto Zoologico Berolinensi

Denuo in Horto Zoologico sive Therotrophio Berolinensi parvulus catulus - in hoc casu parvula catula - simiae auxilii inops indigensque parentibusque orbatus et ab omnibus derelictus educatriceque altriceque usu atque exercitatione praedita eguit.

Gundruna autem Rahn, uxor summis ingenii qualitibus atque facultatibus praedita doctoris Petri Rahn, assistentis

adlatique scientifici superioris Horti Zoologici Berolini in urbe, interea iam optume callet artem parvulos catulos orbatos cuiusvis generis animalium mammalium nutricandi, educandi et alendi. Iam interea nutricata est non solum magnam multitudinem simiorum anthropoidum - inter eos etiam matrem "Bini" filiolarum "Njamucae" - in specie pongidarum (Congice: mpongi, mpungu = simius), sed insuper etiam lupos et ursos.

Simia autem pongo seu Orang Utan (Malaice: orang = homo, hutan = silva, Orang Utan = homo silvaticus) mater cui nomen "Bini" partum edidit et filiola est aucta - sane quidem via sectionis caesareae! - cui nomen "Njamuca" (Malaice: njamuk = culex) est datum. Lucen huius mundi adspexit "Njamuca" simiola medio mense Martio anno 1990°, et etiam nunc cum admiratione et stupore oculos circumfert circumspicitque.


Interea "Njamuca" simiola iam penitus familiariter vivit cum parentibus humanis, praesens est etiam omnibus locis sociaque particepsque est eis atque una cum familia quin etiam excursionibus adest terra marique, ut ita dicam, immo vero simiola illa scurrilis gaudet inceptis conatibusque una cum matre educatrice altrice Gundruna atque patre educatore altore Petro in aquis Berolinensibus et lacubus cum scapha seu cumba velifera gerendis et usque adhuc ne semel quidem nauseavit. Atque quis utique simiorum simiarumque - interrogare liceat! - ubivis terrarum id de se ipsum gloriose praedicare tantaque re insolita se iactare potest? "Njamuca" autem simiola nostra et porro primas aget partes in familia omnium admiratione omniumque adsensu adprobata.

Additamentum: Die 12° mensis Ianuarii anno 1928° Berolini in urbe in Horto Zoologico prima nata est simiola pongo Orang Utan a parentibus, qui mense Maio anno 1927° - olim successus prosperus! - hoc ipso loco advenerant. Usque adhuc multo magis quam 20 partus simiorum simiarumque litteris consignati sunt in indice Horti Zoologici Berolinensis.

AMICUS



Pithecus satyrus seu pongo pygmaeus (Orangius Utanus) infans nomine "Njamuca" cum educatrice altrice humana Gudruna Rahn.



Aenigma

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

1. mollis
2. doce!
3. nebulam
4. herba Bacchi, Apollinis Musarum-
que sacra
5. fissurae

Daniel Weissmann

Aenigma magnum, quo praemia accipere potestis, in proximo libello RUMORIS VARIi invenietis, cari legentes!



De fabula cuius est titulus "Salve tristitia"

Anno 1953° Francisca Sagan auctrix Francogallica annos duodeviginti habens primam et adhuc celeberrimam inter fabulas suas romanenses in vulgus edidit. Hac fabula, cuius est titulus "Salve tristitia" exstat et eminet iuventutis condicio dimidiae partis saeculi nostri. Libro hoc Francisca famam consecuta est.

Omnia aguntur in litoribus Francogallicis maris nostri, ubi Caecilia, puella septemdecim annos nata, una cum patre

nomine Raimondo menses aestivos degit. Et pater et filia ab omni occupatione se expediunt. Vitam otiosam agunt, quam felicem appellant. Raimundus, qui delicatum sermonem in seria inferre solet, in voluptates se mergit una cum quadam muliere levis animi nomine Elsa. Caecilia tempus consumit in bibendo, natando, amando. Se adiungit ad adolescentem quendam litteris studentem. Sensa dicendo autem numquam exprimere vult

Media aestate apparet Anna Larsen, mulier magnae integritatis. Raimundus, qui Annā, multis annis ante, familiariter usus erat, denuo prudentia veteribusque moribus feminae delectatur. Gratiam eius sibi conciliat. Annam secum matrimonio iungere vult. Quae autem omnia consilia et facta ad dignitatem et virtutem revocans rationem vivendi a Caecilia reposit. Puella vero, cum Annam magno loco habeat, tamen errorem deponere non vult. Timens, ne Anna maxima auctoritate apud patrem sit neve ipsa rationem vivendi mutare debeat, amico suo persuadet, ut amorem simulans Elsam colat. Res in discrimen adducitur. Raimundus, quamquam Annam amore prosequitur, denuo voluntatem Elsae sibi conciliat. Anna amantes deprehendit, domicilium Raimundi relinquit. Paulo post nuntius de mulieris morte affertur. Anna sibi semper constans vehiculo suo mortem obiit. Nonne erat mors voluntaria? Caecilia tristi eventu aliquamdiu perturbatur. Tum autem animi conscientiam novis voluptatibus comprimit. Nec pater nec filia vetere consuetudine se abdicant. Alios amores petunt.

Viri feminaeque, qui in libris Franciscae Sagan primas partes agunt, persaepe neque ad animorum incendia neque ad desperationem adduci possunt. Quod poetae auctricesque prioribus temporibus "ennui" aut "spleen" appellaverant, apud auctricem nostram speciem tristitiae adhibuit. Tristitia Franciscae Sagan est quaedam animi contractio iuncta cuidam otii molestiae.

Barbara Maier



Rosas pro consorte Ischinio

Anno 1976° ab auctoritatibus oppidanis Sverini (1) in oppido regionis Megalopolitani (2) in Republica Germania Democratica invitatus est praefectus pristinus Sovieticus, tribunus militum copiarum Sovieticarum quidam, qui breviter post bellum pancosmium secundum ab anno 1945° usque ad annum 1949^m quondam praefecturam oppidanam administravisse putabatur. Ab auctoritatibus oppidanis tam comiter officiose invitatus promisit consors (3) Vladimirus Alexandrifilius quidam Ischinus (Russice: Wladimir Alexandrowitsch Ischin) se quam mox salutationis causa venturum esse. Praefectus autem oppidi Sverini pristinus – qui creditur putaturque! – quam mox fieri omnino potuit iam eodem anno 1976° ad oppidum Sverinum salutandi causa advenit atque ilico nomen suum in librum honorarium oppidi inscripsit. Insuper etiam fasciculum rosarum donaque sumptuosa accepit muneribusque locupletibus insignibusque honoris dignitatisque adfectus recta via regioneque ad patriam Sovieticam – ad materculam Russiam – revertit.

Anno autem 1987° archivarius oppidanus, tabularii oppidani praefectus doctor Manfredus quidam Kriek de his rebus dubitavit atque incorruptam integritatem sinceritatemque illius praefecti oppidani pristini honorabilissimi Sovietici infiatus est. Epistula autem ab eo ad Administrationem Summam Archivorum apud Consilium Administratorum Unionis Rerumpublicarum Socialisticarum Sovieticarum (4) scripta missaque tandem veritatem in lucem protulit et res nunc iam luce clarior evenit. Nunc tandem auctoritates iam perspexerunt omnem rem. Et quomodo certe profecto res se habuit, quaenam erat ratio explanatioque rei? Ita res se habuit: a die 13° mensis Decembris anno 1945° usque ad diem 24^m mensis Novembris anno 1949° consors quidam tribunus militum (columellus) Vitalis Alexandrifilius Tscheprasowius (Russice: Vitali Alexandrowitsch Tscheprasow) praefectus erat oppidanus Sverini oppidi. His autem perspicientiis factorum verorum invitatis auctoritates Sverini oppidi praefecto falso consorti Vladimiro Alexandrifilio Ischinio interea atque etiam acum honorariam (5) oppidi Sverini nummumque memorialem metalleum (6) ad diem festum anniversarium XL^m Reipub-

licae Germanicae Democraticae tribuerunt et non praefecto vero pristino consorti Vitali Alexandrifilio Tscheprasow: Risum teneatis, amici?

1 Sverinum	Schwerin
2 Megalopolitanus (ducatus)	Mecklenburg
3 consors, –sortis m	Genosse
4 Administratio Summa Archivorum apud Consilium Administratorum URSS	Hauptverwaltung der Urkunden beim Ministerrat der UdSSR
5 acus honoraria	Ehrennadel
6 nummus memorialis metalleus	Ehrenmünze, –medaille

AMICUS




De primo cursu cum folli volatili seu aerostatico circum terram faciendo

Aeroplaniga (aeroplanagogus) Americanus civilis, susceptor operis Britannus atque cosmonauta seu aeronauta Sovieticus propositum consiliumque ceperunt inieruntque terram in folli aerostatico circumvolandi. Inceptum illud re et veritate audax temerariumque mense Novembri anno 1990° suscipiendum Acro in oppido ad Cuyahogam (Ohio) duodecim, forsitan viginti dies fere exiget secundum communicationem Ricardi Branson Britanni cuiusdam Washingtonio in urbe Civitatum Foederatarum factam. Iuxta opinionem Ricardi illius Branson, 39 annos nati, etiam Laurentius quidam Newman Americanus, 42 annos natus, qui anno 1981° iam primus in folli volatili Oceanum Pacificum transvolaverat, atque generalis Sovieticus quidam Valdemar Dschanibekow (Russice: Wladimir Dschanibekow), 47 annos natus, exercitator cosmonautarum Sovieticorum, participes adfinesque erunt illius incepti temerarii.

Follis autem volatilis aerostaticus cui nomen "Venti terreni" (Anglice: Earthwinds) 91 metrorum altitudine atque 43 metrorum diametro complebitur intenta quantitate gasi helii 28'000 metrorum cubicorum. Navis cubiculata clausa follis volatilis 7 metrorum longitudine atque 3 metrorum latitudine supeditabitur cum machina pressionem compensante, quod iter illud terram circumvolans 32'000 fere chilometrorum in altitudinibus 13'700 fere metrorum locum habebit. Qui autem ibi flantes et spirantes venti promovebunt follem volatilem aerostaticum in directionem ad orientem versam (cum) velocitatibus horalibus 120 aut 240 fere chilometrorum. Rebus sic stantibus venti in his altitudinibus caelestibus flantes portabunt aeroplanigas temerarios eos trans Oceanum Atlanticum, Hiberniam, Britanniam, Francogalliam, Germaniam, Poloniam, Bohemoslovaciam, Unionem Sovieticam, Iaponiam atque Oceanum Pacificum retro ad continentem Americam. Aeroplanigae autem hi audaces temerariique colligere volunt etiam data de strato ozonico infesto terrae nostrae.

AMICUS



De auctoribus divino spiritu antiquitatis inflatis


Lingua Francogallica, quae est inter filias dilectas Linguae Latinae, matris suae ad tempus meminit:

Nuper scriptum quibusdam actis mandatum legi. Quod ex Francogallico in Latinum verti. Verba scripti erant fere haec: "Permulae sunt fabulae romanenses aetatis nostrae, in quibus res Athenis vel Romae aguntur. Praecipue vitae heroum philosophorumque fabularum auctoribus causam narrandi dant. Ecce aliquot exempla librorum nuper in vulgus editorum:

1. Le dernier monde (mundus ultimus), cuius est auctor Christoph Ransmayr. Est fabula Ovidii Nasonis exilium copiose tractans (domus editoria: Flammarion).
2. Le merveilleux voyage d'Ulysse (Ulixis errores mirabiles) auctoris Pierre Grimal (Ed. du Rocher). Vir ille historicus non recusat Odysseam suam scribere. Praestat autem legere Homeri opus in Francogallicum versum, id est librum poetice compositum auctoris Philippe Jaccottet.
3. L'affaire Socrate (Socratis causa). Est scriptum haud longum optime compositum. Scripti auctor nominis Marcel Paquet causam Platonis magistri accusatorumque argumenta singulari modo demonstrat. Est sane opusculum animos lectorum stimulans (Ed. de la Différence).
4. Semper de Socrate agitur aut saltem de Socratis fratre. Fabulae titulus est "Euryclès d'Athènes" (Eurycles Atheniensis). Auctor nomine Jean Romain fabulam factis abundantem scripsit Periclem aut Periclis aetatem gloria afficiens (Ed. L'aire).
5. Antigona Oedipi filia iterum iterumque apparet. Hac in fabula patrem suum comitatur: "Oedipe sur la route" (Oedipus iter faciens). Libri auctor est Henry Bauchau (Actes Sud).
6. Huguette Junod, mulier poeta Genava orta, memoriam fabulae cuiusdam praeclarae suo modo redintegravit. "Le Retour de Perséphone" (Persephones aut Proserpinae reditus) est carmen magnae amplitudinis simul lingua Francogallica et lingua Graeca aetatis nostrae compositum (Ed. des Sables/Daedalus)."

(Scriptum hoc originem ducit ab actis Francogallice compositis, id est "L'Hebdo/23. Mai 1990")

Barbara Maier



Facete lepideque dicta

Aliqua mulier suscitata officio societatis ad animalia tuenda (Tierschutzverein) telephonat et dicit: "Mittatis, quaeso, statim functionarium ad nos adiuvandum. In horto nostro enim tabellarius (Briefträger) iam duas horas in arbore sedet et cani nostro spurcissime maledicit."

Milites disputant de quaestione, quid ius obscurum detestabileque in poculis sit. Alii cafeam esse suspicantur, alii theam. Illis disputantibus coquus clamat: "Quis alterum pocillum cocoa cupit?!"

Filia a patre veste serica donata hanc spectat et subtilitatem materiae admirans dicit: "Et haec omnia eruca (Raupe) parva invenustaque specie effecit!" Tum mater: "Ne locut sis tali modo de patre tuo!"

Diabolus sancto Petro telephonat et pedifolium (Fussballspiel) caelestium contra inferos proponit. Petrus respondit: "Mihi placet. Sed tibi praedico vos funditus victum iri, quod omnes praeclaros pedifollis lusores apud nos sunt." Dum diabolus: "Id nondum pro certo haberem. Apud nos enim omnes arbitri sunt!"

Pater filium parvum ad medicum euntem comitatur. Tractatione peracta pater e medico quaerit, num filius dolores eo modo tulerit, quod virum verum decet. "Nullo modo", ait medicus. "Fortissimus fuit neque lamentatus est."

Professor studiosum examinans interrogat: "Quomodo scelus fraudis definis?" Studiosus: "Fraus est, si efficias, ut periculum non superem (durchfallen lassen), domine professor." - "Qua de causa haec?" - "Quoniam secundum codicem criminalem (Strafgesetzbuch) ille fraudis scelus committit, qui ignorantia vel inscientia alterius utitur ad ei nocendum."

Praedicatione peracta pastor virum, qui in primo ordine sederat, adiit et interrogat: "Dicas mihi, quaeso, domine, cur riseris, cum de decalogo locutus sim." Tum ille:

"Libenter tibi dicam, domine pastor. Cum dixisti 'ne furtum facito', umbrellamprehendere volui - sed non aderat. Et cum dixisti 'ne uxorem tui proximi desiderato', mihi in mentem venit, ubi umbrellam reliquerim."

Daniel Weissmann



"Super-tramen" ferroviarum Francogallicum superat culmen seu primatum mundanum

Tramen Francogallicum rapidissimum, cui nomen "Tramen grandis velocitatis" (Francogallice: Train de grande vitesse, TVG), die 10^o mensis Iunii anno 1990^o in itinere Atlantico (Francogallice: trace Atlantique) novum culmen sive primatum mundanum (1) velocitatis constituit, cum velocitate horali 510,5 chilometrorum in regulis ferrovianis (2). Locutor autem quidam Societatis Nationalis Ferriviarum Francogalliae (Francogallice: Société Nationale des Chemins de Fer) bene sperat tramen illud velocitatis maximae propediem velocitatem etiam illam superantem adepturum esse.

Mense Decembri anno 1989^o tractus e quattuor curribus ferrovianis et duobus capitibus propulsoriis (3) compositus velocitatis maximae TGV nr. 325 adeptus erat velocitatem horalem re et veritate iam stupendam 482,4 chilometrorum. Usque ad hoc tempus hancque diem tractus interurbanus sive intercivitatis experimentalis ("Intercity Experimental") Ferriviarum Foederalium Germanicarum cum velocitate fere incredibili horali 406,9 chilometrorum erat tractus ferrivianus inter omnes rapidissimus.

AMICUS

- | | |
|--------------------------------------|--------------|
| 1 culmen seu primatus mundanum (-us) | Weltrekord |
| 2 in regulis ferrovianis | auf Schienen |
| 3 caput propulsorium | Triebkopf |

MORTES

Sammy Davis

Omnes una manet nox et calcanda semel via leti.
Quintus Horatius Flaccus
(Od. I, 28, 15-16)



Sammius Davi(diu)s 64 annos natus carcinomate laryngis prostratus vitae cursum peregit mortemque occubuit.

Samuel ("Sammius") Davi(diu)s (vere Americanice: Sammy Davis), sermocinator (1) ille Americanus clarissimus, cuius nomen longe lateque vagatum cuiusque fama per omnes propagata est terras gentesque, die 8° mensis Maii anno 1990° e vita profectus est. Samuel Davis die 8° mensis Decembris anno 1925° Novo Eboraco in oppido in parte Manhattania in districtu Harlemiano natus est filius parentum nigrorum, artificium theatri varietatum. Tres fere annos natus Sammiolus iam cum parentibus in actionibus theatri varietatum partes egit et octo paene annos natus iam ad primum pelliculum cinematographicum operam dedit contulitque. Anno 1943° Sammius se nomen professus est candidatum voluntarium exercitus Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis atque adpulit tandem ad locum sermocinatoris copiarum Americanarum.

Sammius olim Berolini in urbe omnibus digitis adamantibus anulatus.

Bello autem pancosmio secundo feliciter peracto Sammius sedulo se ad artem homines oblectandi contulit. Sermocinator autem ille expeditus lautusque bene succedit felicemque semper habuit exitum in parte "Magistri Mirabilis" (Anglice: Mister Wonderful) et quam mox omnino fieri potuit ad Ruscisilvam (Anglice: Hollywood) vocatus invitatusque prospere feliciterque etiam hoc loco evenit et recta via ad summam in hac arte gloriam perrexit.

Anno autem 1954° casus autocineticus adversus fatalisque vitam Sammii penitus immutavit: perdidit oculum sinistrum, fregit nasum, et se a fide catholica ad fidem Iudaicam convertit. Ex eo tempore Sammius se ipsum ironice nominavit "illum nigrum Iudaeum luscum".

Anno 1955° autem Sammio contigit longius ad apicem sermocinatorum processisse. In itinere ad apicem convenit cum Francisco Alberto Sinatra (die 12° mensis Decembris anno 1917° nato), cum Decano Martino (vulgo Dean Martin, vere Dino Crocetti, anno 1917° nato), cum Shirleya Mac Laine (Shirley Mac Lean Beaty, anno 1934° nata) atque cum Iehudita Garland(ia) (Judy Garland, 1922 - 1969). Circulus ille acerrimorum potatorum potricumque abusui alcoholis saeviter deditorum nominabatur rattorum turba (Anglice: rat pack). Amoris consuetudines Samii - ut exemplis utar - cum Rosa Maria Schneider (1938 - 1982) atque cum Marilina ("Kim") Novak (anno 1933° nata) omnibus diutius notae sunt. Ter in vita Sammius uxores in matrimonium duxit: Lorayam White, cantricem coloratam, Mayam Brittam (vere Maybritt Wilkens, anno 1933° natam), actricem cinematographicam Sveticam (id fuit primum conubium nigro - album in Civitatibus Foederatis!) atque Altavisam Gore, cantricem coloratam in tabernis seu diverticulis nocturnis. Vita autem immodica, libidinosa, intemperans et luxuriosa Sammii tandem conubia illa delevit omnia.

Anno 1989° tresviri rattorum turbae coeperunt iter per odea concentus Americae: Franciscus Albertus Sinatra, Decanus Martinus atque Sammius. Sammius autem morbo exitiali iam significanter adumbratus ultimas observantias accepit occasione iubilaei sui sexagenarii curriculi actoris theatri varietum data et oblata.

Sammius eximie calluit artem homines delectandi, niger ille Iudaeus luscus cum oculo artificiali vitreo sinistro atque cum naso mutilato fractoque. Elegantia motuum corporis atque exercitatio, celeritas agilitasque pernitasque saltationis morbo coxarum (arthrosi deformate) diminutae tandem extinctae sunt. Postremo carcinomate - eheu Sammium nostrum miserimum infelicissimumque! - deleta vox eius obmutuit.

Sammius autem vir pluribus disciplinis variisque eruditio-nibus ornatus erat, nam erat pari ratione eodemque modo cantor, actor, saltator, histrio, scurra, scaenarum dispo-sitor seu ordinator, auctor, et in omnibus his disciplinis erat vir prominens. Inter plus quam 40 phonodiscos diutino sonantes Sammii erant tituli hi: Vir Cuppedinarius (sive Dulciarius) (Anglice: Candy Man), Domina est mulier (vul-gi)vaga (Anglice: The lady is a tramp), Heus ecce! (Hey there!). Inter pellicula cinematographicas Sammii eventu magnas erant hae: Porgius Elisabethque (Porgy and Bess), Robinus atque septem Hoodii (Robin and the seven Hoods) atque Suavis caritas (Sweet charity).

"Niger ille luscus Iudaeus" gracilis parvoque corpore exiguaque statura iam multo ante multis morbis, alcohole atque tristitia evidenter signatus nunc tandem morbo morti-fero ablatu diem obiit extremum, sed inexstincta indelebi-lisque semper virebit memoria huius regis sermocinatorum atque personabit modulus agnitionis (2) eius "Magister Boiangelus" (Anglice: Mister Bojangles), hymnus in honorem sermocinatoris immortalis Americani.

1 sermocinator Entertainer, Unterhalter
2 modulus agnitionis Erkennungsmelodie

AMICUS

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

3/90

IDIBVS AVGVSTIS

MCMXC



RVMOR VARIVS



TOMVS 13

FASC. 83